Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



18.

esse, cum Baronio sentit Papebrochius. Quod autem Baronius Martyrologio Romano inseruit ad II Kal. Sept. quod postea Romam translatum in Ecclesia sancti Silvestri ad Campum Martium summa populi devotione asservatur: haud satis prudenter factum, idem Papebrochius offendit. Et licet ~~Fra~~ eruditissimus noster Franciscus Lachemayr in suo Diario de an. 1688 referat: ~~Romae apud S. Praxedem Fuit in Ecclesia Monialium ordinis S. Clarae ad~~ S. Silvestrum, ubi exponebatur Caput S. Joannis Baptistae: nil tamen inde sequitur, quam vel alterius Joannis caput ibi existere, nt vult Papebrochius, vel partem Capitis S. Joannis B.

Ad Caput referri etiam potest sanguis, ex ejus sectione fusus: qui tum Valati in Gallia, tum Neapoli, Modoetia, ac Janua in Italia, magno cultu asservari, et ~~quotannis in festo Decollationis S. Joan~~ sepius liquefieri atque ebullire dicitur, multisque beneficiis abundare. Unde Quo autem modo sacerrimus esse cruor servatus et translatus fuerit: difficile dictu est. Narrat S. Gregorius Turonensis l. 1 Mirac. c. 19: paulo ante quam Baptista decollaretur, matronam quandam e Gallia in Palestinam venisse, profectemque decollationi, destinatem sanguinem concha argentea excepisse, et in Galliam retulisse. Sed hanc narrationem interpolatam esse suspicatur Papebrochius; qui mavult credere, sanguinem a discipulis Joannis humi collectum, postmodum a fidelibus in Occidentem ~~et~~ fuisse allatum.